



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodiêre

Complectens Santos Mensivm|| Maii Et Ivnii

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10258 - 10263

De S. Iacobo Apostolo Fratre Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77393](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77393)

COMMENTARIVS RERVM GESTA RVM

S. IACOBI APOSTOLI, FRATRIS DOMINI.

Autore Simeone Metaphraſte.

1. Maij.
Commemo-
ratio San-
ctorum iu-
cundissima
& vrilissima

S. Iacobi
Patria.

Dicitus est
Oblias.

Mira absti-
nentia eius.

Preces affi-
dux.

Riximia vir-
tus.

Contepla-
tio & actio,
perfec-
tio-
nis instru-
menta.

Iacob. L.



IHIL est viro bono, & virtutis amatori & quæ iucundum, & quod nulla minus satietate offendatur, atque iusti memo-
ria, & maximè si passus sit propter Christum. Ea enim illum magis excitat ad letitiam, quam aurum pecunia amatores, & quæcunque sunt visu delectabilia eos, qui pulchritudinum rerum tenentur amore. Adde quòd ipsa iusti memoria non solum est iucunda, sed etiam valde utilis, cum aliquem zeli & amationis stimulum immittat animis, & ad similia aggredienda excitet. Agedum ergo nos quoque magnum Iacobum in medium adducentes, quæverè est Iustus, & no-
minatur, & vt Christi frater vocaretur, eximiè est assecutus, communem ex rebus illius utilitatem capiamus & voluptatem. Nam licet multi alii, qui in Ecclesiastica scribunt historia studium posuerunt, de hoc Iusto narrauerint, & ante omnes Hegesippus & Clemens, quorum ille quidem in quinto suo libro, hic au-
tem in sexta earum, quæ vocantur hypotyposes, nonnulla ex ijs, quæ ab ipso gesta sunt, affluentes, posteris tradiderint, nemo tamen se extendit ad omnia, neque contendit de eo dicere singulatum. Causa autem est, quod non fuit eorum institutum de ipso scri-
bere, sed erat quidem eis aliud propositum argumentum, in parte autem, cum ita ac-
cidisset, illius meminerunt.

Iacobo ergo diuino patria fuit Iudea, pater Ioseph, qui propter insignem virtutem & morum bonitatem, fuit sponsus Virgini, quæ Dominum nostrum Iesum Christum peperit. Erant autem eius actiones nomini conuenientes. Autem enim eum fuisse vocatum Obliam, quod quidem vult significare Iustum. Oculus eius lenis & placidus, & verè dignus, qui conserueretur a Deo misericordia. Aures diuinis verbis omnino aper-
tae. Os, in quo, tanquam aliquæ delicia, lex erat perpetuò. Manus, quæ semper moue-
bantur ad benefaciendum. Venter, qui omnino suis resistebat appetitionibus. Nam ab animatis & vino tota vita usque adeo abstinuit, vt aquam quidem existimat potum suauissimum, quemadmodum & alimentum panem, lachrymarum guttas abudanter miscens cum potionc. Genua eius precationis affidue causa penitus obduruerant, & pellis erat in eis veluti mortua. Pannus erat ei gratum indumentum, & sindon, quando erat ad sacra ascensus. Inter noctem & diem nullum erat ei discriminè, sed noctu quoque lucis exercetab opera, & dies, vita tranquillitate & turbarum vacuitate, imi-
tabatur planè noctis silentium. Suis erat iucundus, alienis venerandus. Tantam enim laudem virtutis, non solum apud amicos, sed etiā apud eos, qui non erāt initiati myste-
riis pietatis, is fuit assecutus, vt nonnulli quoque eorum eius conscriperint martyrium, & dixerint, non eos solūt luisse poenas, qui Iustum interemerunt, sed ciuitatem quoque magnam accepisse calamitatem, in qua excedens illud contigit facinus. Ei quod dico, fert testimonium Iosephus in vigesimo libro antiquitatum id referens.

Quomodo autem & alia, quæ ad Iustum pertinent, vobis virtutis amantibus pro dignitate recensebimus? Nuper quidem Dominus fuerat nobis particeps magni secundum carnem mysterij, & magnus hic Iacobus tenebat clavum Ecclesie Hierosolymitanæ. Cum duo autem sint, quæ hominem ducunt ad perfectionem, contemplatio, in-
quam, & actio, ex quibus vim accipiunt virtutes, examinandum est, quæ hic esset in vitroque eximius. Sed quoniam maximè per contemplationem ad Deum est ascensus, quoad eius fieri potest, prius narremus de illius cōtemplatione, dcinde etiam eius actio-
nem ponderemus pro viribus. Existimo enim oportere Episcopi oculū ante alia de-
lectari vi contēplandi, etiamsi actionem quidam putarunt esse ascensum ad contempla-
tionem. Concedatur ergo, quod contemplatio præcedat actionē, quandoquidē iusti actioni coniunctum est etiam martyrium. Sed quomodo Episcopus gregē cum scien-
tia pascere debat, is apertè potest intelligere, qui Catholicam eius legit Epistolam. Et primū quidem id, quod est in inscriptione egregium, non est prætermittendū. Proti-
nus enim, & vt dicitur, à carceribus, significatur sancti modestia. Sic autem habet Iacobus Dei & Domini Iesu Christi scrarus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.

Nam

DE S. PHILIPPO APOSTOLO.

Nam cùm ei licet seipsum vocare Apostolum, aut Episcopum, aut quod maius est, Fratrem Domini; quibus nominibus ipsum quoque Paulus significauit scribens ad Galatas 10. latas videtur delectari humilioribus; se esse seruum Christi Dei significat tribubus Israe-
lis, vel maximè proprium magistri insigne, habens moderationem, & ea sibi magis pla-
cens, quām Episcopatus dignitate atque fraternitatis.

Sed agē nonnulla, que leguntur in Epistola, quantum conceditur, persequamur, per
qua erit manifesta illius mentis puritas, & accurata doctrina. Nam cùm fuisse in prin-
cipio Epistola, & contēplante animo oculo considerasset, ut est consequens, quod quis-
quis ad Deum accedit, incidit in tentationes! Boni enim principium & radix, est Deus!
bonum autem, est virtus. Via autem, qua fert ad virtutem, est aspera & difficilis, & qua
multa habet aduersari, & ideo euenit omnino, ut qui ad Deum accedunt, in res incidentes
inæquales, exhortatur sanctos ad iniunctam patientiam & nunquam cedentem, bonos
imitans puerorum præceptores, & qui conuenienter legibus decertationis sciunt de-
certare. Dicit enim: Omne gaudium existimat, fratres mei, quando in tentationes Iacob. 7.
varias inciderint, scientes quod probatio fidei vestre patientiam operatur. Patientia
autem perfectum opus habeat, ut in nullo deficiatis. Si cui autem vestrum defeat sapien-
tia, petat à Deo, qui dat omnibus absolute, & non exprobrat. Considera autem, cum
quanta hortatur sapientia. Non enim solunimo dō sustinere, sed etiam gaudere ingru-
entibus iubet temptationibus, nec solū gaudere, sed id etiam omne gaudium ducere.
Neque verò dicit qualibet temptationes, sed Quando in varias inciderint temptationes.
Causa autem est, Scientes, inquit, quod probatio fidei vestre patientiam operatur. De-
inde subiungit, in fide debere esse firmitatem, & cōstantiam, & nullam dubitationem,
dicens, Vir animo duplex, est instabilis in omnibus vijs suis. Quod autem postea dicit, Ibidem.
quantam cum venustate habet etiam profunditatem? Glorietur enim, inquit, humiliis Ibidem.
quidem in sua altitudine, diues autem in sua humilitate. Nam cùm diuitiae quidem al-
liant ad superbiam, paupertas autem ad humilitatem & animi deiectionem, ille con-
trà iubet facere, diuitem quidem suam cōstituere altitudinem in modestis actionibus.
Pauperem verò hoc ipsum existimare dignitatem non contemnendam, si magno &
excelsō animo ferat paupertatem. Ita paupertatem & diuitias, que sunt sep̄ multis ma-
teria ad peccandum, utraque materiam efficit ad Dei cultum.

Deinde rursus cùm sciret, cuius gloria, & quām multorum bonorum sint tentatio-
nes conciliatrices ijs, qui se fortiter gerunt, repetens dicit, Beatus homo qui sustinet Ibidem.
tentationem, quoniam cùm fuerit probatus, accipiet coronam vita beatitudine &
spe coronarum efficiens, ut sint viris bonis acceptae temptationes, & eas propemodum
tanquam lucrum existiment, & cum voluptate excipient. Sed neque multorum mor-
bum, qui suas defendantes cupiditates, peccatum dicunt esse à natura, & neque veren-
tur existimare, Deum esse causam malorum, reliquit in curatum, sed tanquam medicus
præstantissimus, auxilijs vtens præseruantibus, huic morbo resistit, dicens? Nemo qui Ibidem.
tentatur, dicat? A Deo tentor. Deus enim non tentatur à malis, ipse autem tentat ne-
minem. Vnusquisque verò tentatur à propria concupiscentia attractus & inescatus.
Deinde concupiscentia cùm concepit, parit peccatum, peccatum autem perfec-
tum, parit mortem. Sic vir iustus iuste iudicauit inter homines & Deum, illi quidem suo te-
stimonio tribuens, quod non esset author malorum, & linguis loquacibus persuadens,
ut tacerent, efficiens autem, ut homines suam agnoscerent imbecillitatem & sua pec-
cata, & ut sibi, & non Deo, ascriberent delicta, quæ ex mala consuetudine proueniunt Peccatorū
& socordia, & sic discerent se humiliiter gerere, & petere veniam. causa.

Præterea videbis lustum sapienter periment arrogantiam & superbiam, quæ se-
quitur bonum recte gestum, & persuadētem Deo potius quām sibi ipsi ascribere, quod
fuerit recte factum. Ne erretis igitur, inquit, fratres mei dilecti. Omne donum bonum, Iacob. 1.
& omne datum perfectum, desuper descendit à patre lumine, apud quem non est vi-
cissitudo, nec mutationis obumbratio. Volens enim genuit nos verbo veritatis, ut si-
mus nos primitia quedam eius creaturarum. Hæc & exinaniant arrogantiam, & ostend-
unt Deum esse datorem bonorum, & esse immutabilem, nec in eum cadere alterati-
onem, quodque is est eximius, si conferatur cum rebus creatis, & maximam videtur
gerere curam hominis.

Post hæc accedit ad admonitiones, quæ ad mores magis pertinēt? Sit, dicens, omnis Ibidem.
homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Si enim velox
fermo est cauendus, quanto magis adhibenda est cautio, ne citò irascaris? Vide autem,

- 6
- Iacobem. quoniam odd figuram veri exprimit Christiani. Religio pura & immaculata patri & Deo
hac est. Visitare orphanos & viduas in afflictione eorum; immaculatum seipsum conseruare à mundo. Ex æquo iubet & à mundo recedere; & ad propinquum accedere.
Tunc enim verè ac sincerè fratrum miserebimur; quando nos separabimus ab affectiōne in mundum. Dicendo autem, Ne in personarum acceptiōnibus habeatis, fratres,
fidem Domini nostri Iesu Christi gloriet; tollit id, quod sit ad ostentationem, decens ne
viuamus, ut placeamus hominibus, neque queramus gloriam ex hominibus, humilia
& abiecta cogitantes; sed Deum solum amemus, & eius, quod sit, habeamus ipsum lau-
datorem, & remunerationem ab eo expectemus. Dicendo verò eum legem implere
regiam, qui diligit proximū sicut seipsum, excitat ad fratrum dilectionem, ex eius, qui
legem tulcat, dignitate sciens huius præcepti magnitudinem & pulchritudinem: &
quod planè legis adimpletio, est dilectio in proximū: & hoc ipsum est summa bonorū.
Dein mouet ad misericordiam, terrens immisericordi & ineuitabili, quod illuc est, iudi-
cio. Iudicium enim, inquit, sine misericordia ei, qui non fecit misericordiā: per hoc con-
cedens, ut misericordia gloriatur plus, quam iudicium, quatenus illi dat victoriam. Quin-
etiam ita dicit fidem opus habere actione, sicut corpus eget spiritu: absq; ea autem esse
mortuam & inutilem, ut non confidamus in eo solū quod credamus, & manifeste glo-
riemur. Hoc autē probat, statim Abraham & Raab adducens in testimoniu illū qui-
dem, qui cū fide Isaac quoq; obtulit, hanc autē, quæ speculatores per alia viā transmisit.
Iacob. 2. Et quid opus est, ut singula enumerem? Vix vllam prætermisit ex virtutibus morali-
bus, ad quam non incitauerit virum piū ac religiosum cum multa probabilitate, gra-
tia ac iucunditate. Is lingue legem dedit, ut qui & in tempore tacendum, & in tempore
dicendum accuratē doceret. Is paternē docet sequi quidem veritatem, à falso autem
abstinere. Porro autem linguam quoque maledicam & calumniatricem plurimū
accusat. Et de propinquō clanculum detrahere, aut etiam eum iudicare, ab animis ho-
minum procul propulsat. Tuum opus est, o Iuste, diuites quoque rursum & pauperes
admonere illos quidem, ne confidant in diuitijs: hos autem, ut mala ferant patiebter,
ut qui sint tolerantia, accepturi mercedem, quæ non potest auferri: & illis quidem infi-
delitatis argumentum diuitias obijcere, ut qui in eis confidant, & non in Dei sinu, qui
nunquam exhaustur, his autem, tanquam prophetam annunciarē, quod pro foribus
stat is, qui iudicat. Illud autem, non per iurū solum, sed vel ipsum omnino iuriurandum
declinari debere, cuiusnam alterius, quam lingue iusta fuerit admonitio, dicentes: Ante
omnia, fratres mei, nolite omnino iurare, neque per cælum, neque per terram, neque
vllum aliud iuramentū. Sit autem vestrum, Certè certe, & Non non, ne sub iudicio de-
cidatis. Eos, qui sunt sereno & tranquillo animo, docet, ut se muniant oratione: eos,
qui ægrotant, ut oleo yruntur cum oratione sacerdotis adunctionem, & id habeat pro
morbi medicina, vt potè quod oratio, cui opera ferunt auxilium, maxima possit effi-
cere. Quid opus est omnia persequi, quæ hęc continet Epistola, cùm eam possit, qui ve-
lit, legere & illinc haurire, tanquam ex fonte, & gustando factis probare, & ita fide di-
gnus esse testis eorum, quæ pulchrè dicuntur à Iacobo?
- Aet. 15. Porro autem hinc quoq; sciri potest, quāta esset eius authoritas & dicēdi facultas.
Fuit aliquando quæstio Antiochia, an oporterer eos, qui ex gentibus ad verbum veri-
tatis accedebant, more Mosaico deinceps circuncidere. Fratres ergo, qui erant Antio-
chia, Apostolis commorantibus Hierosolymis permiserunt iudicium, Paulo & Barna-
ba vīi ministris ad proponendum id, de quo quarebatur. Cum verò qua Hierosoly-
mis erat Ecclesia, ad hoc esset cōgregata, & Petrus primus Apostolorum præfessit fidei,
& deiijceret semina pietatis. Viri fratres, inquit Iacobus, Simon exposuit, quomodo
primum Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomine suo. Et ei consentiunt
Prophetæ. Deinde cū subiunxit verba vnius Prophetæ, de ijs, qua quarebantur,
hanc tulit sententiam: Iudico ego, dicens, non esse molestia afficiendos eos, qui ex gen-
tibus ad Deum conueruntur: sed scribendum ad eos, ut se abstineant à contaminatio-
nibus simulacrorum, fornicatione, & sanguine, & suffocato. Sic dixit, & quod dixerat,
deductum est ad effectum: & quod à Iacobo fuerat decretum, scriptum est ab Aposto-
lis: & Ecclesiæ pro forma fuit traditum. Tanta apud Apostolos fuit eius reverentia.
Galat. 1. Sed licet etiam audire, quidnam Paulus de eo scribat ad Galatas; Ascendi, inquit,
Hierosolyma ad videndum Petrum. Alium autem Apostolom non vidi, nisi Iacobum
fratrem Domini. Vtpotè quod res esset magna, & digna quæ mandaretur memorie,
videre Iacobum. Qualibus autem monitionibus ad Paulum vlius sit Iacobus, aperte
scierit,
- Petrus pri-
marius
Apostolus.

DE S. IACOBO APOSTOLO FRATRE DOMINI.

Sciens, qui legerit Actus Apostolorum. Cum nos enim (inquit Lucas) venissimus Hiero-^{Act. 17.}
solyma, excepimus nos omnes fratres. Sequenti autem die ingressus est Paulus nobis-
cum ad Iacobum, & omnes accederunt presbyteri. Quos cum salutasset, exposuit sin-
gulatim unumquodque eorum, quae Deus fecit gentibus per ministerium suum. Illi
autem cum audirent glorificauerunt Deum, dicentes Paulo! Vides, frater, quam
multa nullia sunt inter Iudeos eorum qui crediderunt? & sunt omnes legis amulato-
res? De te autem audierunt, quod tu doces à Mose defectionem Iudeorū omnes, qui
sunt in gentibus. Sed fac hoc, quod tibi dicimus. Sunt nobis viii quatuor, votum ha-
bentes super te: his asumptis, sanctifica te cum illis, & impende in illis, ut tradant capita?
& cognoscant omnes, quod qua de te audiérunt, nihil sunt. Oportet autem omnino
existimare hæc verba esse Iacobi, ut qui esset princeps illius Ecclesie. Propterea enim
hoc egregie à Luca est additum? Paulus nobiscum ingressus est ad Iacobum. Tantum
inter Apostolos tribuebatur Iacobus, & adeò erat clarus, & habebatur in tanto hono-
re, partim quidem hoc habens ex virtute, partim autem hoc natus ex eo, quod esset
frater Domini. Iudas autem, qui Catholicum septimum scriptit Epistolam, quanam
ex re seipsum significat, & quomodo facit inscriptionem? Iudas Iesu Christi seruus, frater
autem Iacobi Iesu, qui sunt dilecti in Deo patre. Non ex imperatorijs & inanibus digni-
tatijs sibi tantum claritatis tribuunt, qui sunt in mundo splendidi, quantu ille sciebat
gloriarum ex eo, quod esset & diceretur frater Iacobi. Si autem est Iudeus gloria, dici fratrem
Iacobi? quanto est ipsi Iacobo maior, quod Christi frater nominetur? Ipse enim solus
asseditus fuit hæc priuilegia? & dignus est habitus, qui solus vocaretur frater Domini.

Hic ergo magnus & diuinus Iacobus erat sanctus (vt sacra dicunt eloquia) ex utero
matris sua. Quoniam obrem statim post Deum primum Pontificem accipit clauum Eccl.^{Act. 17.}
clesie Hierosolymitanæ, & solus in Sancta sanctorum perpetuè ingreditur. Non enim
semel, sicut ijs, qui legi & vmbre cœlestium seruiebant, concedebatur ingressus? sed sic
ingrediebatur, ut qui solus posset ingredi propter puritatem. Ingrediens autem, se in-
clinabat in genua? & populo melius conciliabat remissionem peccatorum, quam quo-
modo fecit Moses. adeò ut instar camelorum ei genua obdurescerent, eō quod is ea
flesteret assidue. Sic enim nobis Deus, qui homo factus est, orandum tradit. Propter
insignem autem iustitiam vocabatur, ut dictum est, Oblias, quod lingua nostra signifi-
cat comprehensionem populi, & iustitiam.

Ceterum quomodo Prophetæ prius significauerunt, quidam ex septem hæresibus,^{Act. 17.}
quorum dux erat Ananus. (Erat autem Ananus tunc sacerdos, quando Paulus appella-
to Cæsare, Romam à Festo viñctus missus est ad Neronem, cum essent frustrati spe insi-
diarum, quas struxerant aduersus Paulum, cōuertuntur contra Iacobum fratrem Do-
mini. Hæc autem in illum facere ausi sunt. Cum Iustum intercepissent medium, pete-
bant ab eo negationem fidei in Christum coram toto populo, & ex ipso sunt scisitati;
Dic nobis, O Iuste, dicentes, quid tibi videtur de Iesu? Ille autem eis conuenienter re-
spondens, & qualis dicebatur, nempe Iustus, talis quoque volens videri, iustum similiter
vocem emittit. Is est, dicens, filius Dei Iesus Christus. Atque nonnulli quidem crede-
bant ijs, quæ dicebantur à Iacobo? alij autem minimè credebant, & contradicabant,
conuenienter non recte traditioni & errori. Quædam enim hæreses apud Iudeos (vt Matth. 22.
diuina dicunt eloquia) neque tenebant resurrectionem, neq; credebant Deum ventu-
rum, ut redderet vnicuique secundum opera sua. Atque multi quidem propter Iaco-
bum relati sunt in numerum creditum, magna autem murmuratio exorta est inter
principes Iudeorum, ut potè quod dicerent Pharisæi & Scribæ in periculum venire uni-
uersum populum, expectantem Iesum Christum. Cum ergo accessissent ad Iacobum &
Tevalde roganus, o Iuste, dicebant, cohibe populum: in errorem enim inductus est
de Iesu, quod ipse sit Christus? & fac, vt ijs, qui die Paschæ conuenerint, de Iesu perfa-
deas, ne de ipso fallantur. Tibi enim nos credimus, & tibi ferimus testimonium, & uni-
versus populus, quod sis iustus, & personam non accipias? (hoc testimonium, quod
esset iustus, & personam non acciperet, ideo illi tribuentes, ut ex hoc Iusti nomine eum
ad se allicerent, & persuaderent, ut illorum personas acciperet, corruptus assentatione.)
Ascende ergo templi pinnaculum, ut cernaris à toto populo, & verba tua audian-
tur. Nam propter Paschæ conuenerunt omnes tribus cum gentibus. Statuerunt ergo
Scribæ & Pharisæi Iacobum supra templi pinnaculum, & alta voce dixerunt; Iuste, de-
bemus omnes tibi credere. Quoniam igitur populus errat post Iesum, quem omnes
scimus paschum esse mortem sub Pontio Pilato, nobis enūcia, quid tibi videatur de Iesu.
Vide fallas.
ciām.

Præclaræ S.
Iacobi co-
fessio.

Cum ergo tempus vocaret, ut vir fortis resisteret mendacio, non est cunctatus, neque metu prodidit veritatem? sed & animo & lingua liberrimus, & magnam protinus vocem emittens. Quid me rogatis, inquit, de Iesu? Ipse sedet in celo ad dexteram virtutis patris sui, venturus posthac in nubibus caeli, ut iudicet orbem terræ in iustitia. Cum multi autem fuissent persuasi ab hoc Iacobi testimonio, clamarentque & dicerent, Osanna filio David! Scribas & Phariseos subiit magna eius, quod factum fuerat, pœnitentia, & inter se dicebant; Malè fecimus, qui tale testimonium Iesu præbuerimus. Agedum ergo Iacobum deiiciamus, ut populus sic meu retardatus, non credat Iesu. Cum sic dixissent, magna voce clamaverunt! O ô, Iustus quoque errauit! Cum ergo ascendiissent in templi pinnaculum, eum statim deiiciunt. Et ne sic quidem desistentes ab infania, dicebant, iustum obruamus lapidibus. Et cœperunt in eum iaculari lapides, quoniam deicetus non erat mortuus. Sed conuersus, (O sanctam animam) figit humi genua dicens? Domine Deus pater, dimite eis, nesciunt enim quid faciunt, eandem vocem, quam Stephanus, diuinus quoque emittens Iacobus. Cum sic ergo eum appeterent lapidibus, vnius ex sacerdotibus, qui erant filii Recham, filii Rechabim, de quibus fert testimonium Ieremias propheta, clamauit, dicens; Cessate! quid facitis? Iustus pro nobis precatur. Quidam autem ex eis, accepto fuste ex officina fullonis, quo comprimebat vestes, validè infligit eius capiti? & sic iustum tradidit animam. Quen accepunt & sepeliunt prope templum Dei.

A. 7.

Ierem. 35.

Cædes S. Ia-
cobi.

Ex Iosephi
lib. 25. An-
tiquitat.

Quicunque autem erat in ciuitate moderati & probi, & videbantur leges accurate seruare, hoc tulerunt grauiter, & clam mittunt ad Agrippam, (erat enim is successor tetrarchia Herodis) rogantes, ut scriberet ad Ananum, ne talia auderet. Neque enim recte fecisse dicebant, quod fecerat magno Iacobu. Quidam autem ex eis Albino quoque procedentes obuiam venienti Alexandria, (Ipsum enim post Festum elegit Cæsar procuratorem Iudeæ) eum docent, non licere Anano absque eius sententia sedere in concilio. Albinus igitur, credens ijs, qui dixerant, iratus scribit ad Ananum, minans eum daturum pœnas admissi facinoris. Rex vero Agrippa, Anano deposito a sacerdotio, cum fuisset pontifex non plures quam tres menes, alterum eius loco constituit. Mala autem extrema inuaserunt Iudeos post mortem Iacobi. Horum testis est Iosephus Iudeus, qui nihil celavit veritatis.

Hæc ita euenerunt, & sanctus additus est sancti martyribus, iustis qui iustum erat & nominabatur, quique primus inter episcopos fuit martyrica corona redimitus. Nam inter diaconos quidem præcessit Stephanus, inter apostolos Zebedæi Iacobus, nunc autem pontifex Christum primum pontificem est secutus, martyr eum, qui pro universo mundo proprium præbuit sanguinem. Quam multarum diuinorum dignitatum quam multa tibi debita sunt corona, discipulo, pontifici, iusto, Dei fratri, martyri, qui quicquid boni dixerit quispiam, habet ex abundantia ad gloriam patris, filij & spiritus sancti, quam est vna & inseparabilis diuinitas, & quam decet omnis honor & magnificencia, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA S. MARCVLPHI ABBATIS, INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED FIDELITER CONSCRIPTA.

Stylum interdum modicè correxi.

Maij 1.

S. Marcul-
phi patria.

Pietas pue-
rili.



O tempore, quo gloriosus & Deo amabilis Childebertus rex Francorum sceptra strenue honesteque regebat, beatissimus vir Marculphus, magnus & præclarus enituit moribus & actibus. Cum enim nobilissimus, ditissimus atque Christianissimus Baicassiniis ciuibus ortus esset, ab ipsis puerilibus annis toto nisu ingentiique desiderio ad supernam coepit patriam anhelare. Præferebatur quidem ætate leuitas puerilis, sed vigebat in moribus senilis maturitas. Nam ludicris omnibus, quibus illa ætas maximè delectatur, reiecit, ea quæ diuinæ religionis erant, & aida aure percipere, & tenaci memoria commendare, & accurata persecutione exequi satagebat. Deuitabat bona indolis puer coætanorum suorum vaniloquia, lasciuiaque conuenticula, atque seniorum sece adiungebat congressibus & colloquijs,